

3

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE
**MEDICINA PERIPATE-
TICA S. AMBULATORIA,**
Ob mit gehender Leibes-Bewegung die Gesundheit
erhalten und befördert werden könne?

Quam.

AUSPICE DEO PROFITIO,

Et Consensu atque Autoritate Gratiæ Facultatis Medicae,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
P R A E S I D E

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES.
SORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO H T. SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONVENTIS,

ANNO MDCXL. D. NOVEMBER.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

R E S P O N D E N S

JOHANNES ANDREAS ZIEGLER,

HALENSIS MAGDEBURGICUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS JO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

VIRO
GENEROSISSIMO, EXCELLENTISSIMO,
EXPERIENTISSIMO
DOMINO
**DAVIDI SAMUEL
MADAI,**
MEDICINÆ DOCTORI,
SERENISSIMI PRINCIPIS ANHALTINO.
COTHONIENSIS
CONSILIARIO AULICO ET ARCHIATRO,
ORPHANOTROPHÆI HALENSIS
MEDICO CELEBERRIMO,
PATRONO ET FAUTORI
CULTU EXIMIO PROSEQUENDO,
IN SINGULARIS ÆSTIMII DOCUMENTUM
ET GRATI ANIMI TESSERAM
HANCCE DISSERTATIONEM INAUGURALEM

D. D. D.

JOHANNES ANDREAS ZIEGLER.



AIR

GENFOSASIS. ETAT. VENITIENSIS.

ETAT. VENITIENSIS.

D. O. M. I. N. O.

DAVIDSAMUELI

MADAI

MEDECINAE DOCTORI

SEPT. RANIA. 1610. 1610.



CONSTITUTIO AGRICULTORUM

OPHANIA. 1610. 1610.

CIMMIUS. 1610. 1610.

ATRON. 1610. 1610.

OPHANIA. 1610. 1610.



PROOEMIUM.



Inter alias exclamations
ac querelas, quas J O B U S de fra-
tribus suis perfidis *cap. IV.* pro-
fert *v. 18.* annotationem etiam illa
meretur, quod *buc illuc overtan-*
tur, aut diffluant *a semitis suis con-*
fuerit, quod adscendant in inani-
tatem, aut in nihilum abeant, aut ambulent in va-
cuum & pereant: exinde tantum hoc modo colligi-
mus loco, dari videlicet transitum & ambulationem
ad vitam & salutem, ut & ad interitum & perniciem:
quicunque itaque cursum aut ambulationem in æ-
quitate instituunt, i. e. juxta regulas spirituales & na-
turales congrue & decenter progrediuntur, illi sa-
lubritatem æternam & temporalem impetrabunt:
Alias quidem sec. philosophicum judicium atque mo-
nitum *Symbolis Pythagoricis* illud effatum annexum
est, *via publica non esse ambulandum*, quia illa utpluri-
mum erronea est, adeoque mentes corrumpit & se-
ducit,

ducit, vel ut verbis sacri Codicis exprimamus, *via est ampla, quæ dicit ad interitum Matth. VII. v. 13.* Boni itaque animæ atque corporis medici officium est, ut alios horetur ac informet juxta *Esaiam c XXX, 21. hæc via est, ambulate per eam, sì ad dextram sinistramque deflexeritis.* Quemadmodum autem rerum existentiæ nonnisi progressus ac transitus sunt, ita juxta *PLATONIS in Axioco Vita humana* non nisi peregrinatio aut ambulatio quædam est: Vita enim mentis juxta *ARISTOTELEM* perpetua ambulatio aut progressio ab una idea & contemplatione ad alteram existit: vita vero corporis continuo motu, mutatione, ambulatione & progressione absolvitur: in eo enim ex parte forma naturæ consistit, unde iterum huc assertum *ARISTOTELIS quadrat Lib. 3. de Nat. cap. 1. ignorato motu, naturæ etiam ignoratio sequitur:* Hæc gradatio & facultas ambulandi magnum ad eximos & diversos usus adminiculum est, ut propterea magis referat scire, quid valeat, quam quid sit ambulatio. *SENECA in Ep. 113. ait: inter Cleanthem & discipulum ejus Chrysippum non convenit quid sit ambulatio* proinde autem *de tranquillit. animi c. 17.* utile illud monitum præbet: *indulgendum est animo, dandumque subinde otium, quod alimenti ac virium loco sit;* & *in ambulationibus apertis vagandum, ut coelo libero & muleo spiritu augeat artollatque se animus.* Multi vix maturius dignitatem capacitatis ambulandi agnoscunt, quam si libere & facile eundi non datur libertas, vel defectus quidam membra detinet, quæ obambulationi ministrant: Et quam pauci sunt, qui multiplicem reliquam

quam utilitatem, non tam in teconomiam civilem, quam naturalem i. e. vitæ ac sanitati inservientem, redundantem, agnoscent: Inter præcepta curatio-
num medicarum hæc quinque CICERO Epist. 18. ty-
roni suo repetit: *Valerudo quid postular, non ignoras, con-
coctionem, laffitudinis vitazionem, ambularionem moder-
ratorum, frictionem, alvi facilitatem: & II. ad Atticum c. 23.
recreandaæ voculæ causa est mibi ambulare: hæc dictavi am-
bulans.* Non pauci in solitudine delectamentum &
tranquillitatem querentes, turbam vero mundi fugientes, non in otio ac desidia tempus perdunt, sed
ambulantes Deo, proximo & sibi serviunt. Quid antiquissimis gentibus magis familiare fuit, quam ingressus; ubi erant tot elephantes, cameli, caballi, u-
bi tot currus, carpenta, effeda, vehicula meritoria,
vecturæ, plaustra, leæticæ, basternæ, sellæ gestato-
riæ, trahæ, variaque alia vectura specimina. Cu-
jusvis sortis ac dignitatis homines ambulando quælibet
vitæ naturalis negotia perfecerunt. Antiquissi-
mæ hæ fuerant confuetudines & consultationes in-
cessu vitæ, viribus & sanitati prodesse. SENECA
Ep. 78. ab init. ait: *Medicus tibi, quantum ambules, quan-
tum exercearis, monstrabit: ne indulgens otio, ad quod ver-
git iners valerudo, ut legas clarius & spiritum, cuius iter &
receptaculum laborat, exerceas, ut naviges, ut viscera molli
exercitatione concutias.* Quid magis homini turpitudi-
ni dicitur, quam si a Benignissimo Creatore inte-
gris, sanis & firmis membris prædictus esset, ob nimiam
mollitiem, effeminationem & teneritudinem alienis
ac mutuatitiis subsidiariis utuntur viribus pedibus.
que:

que: quare MARTIALIS Lib. VI. Epigr. 84. insanum illum vocat; qui sanis pedibus lectica per plateas gestari patitur; canens: *aetopboro sanus, portatur, Avite, Philippus, bunc tu si sonum credis, Avite, furis.* Ita inter ambulandum Cultura & mentis & corporis antiquitus exercebatur: ad corporis exercitationem quod attinet, tunc illa non modo elegantiæ, sed etiam utilitati ac integratitudini destinata fuit: PLAUTUS in *Circumloge Act II Sc I. n. 29* ludit: *Lien directus est, i.e. inflatus, tumidus, distractus, ambula, id lieni optimum est:* in hæc verba ita commentatur LAMBINUS: *ambulationem & exercitationem Lienis morbo esse uilem argumento est, quod narrant quandam lienojum, cum ei a medicis præceptum & præscriptum esset, ut si morbo levori veller, crebra & contenta ambulatione uteretur, usque adeo primum ambulando, deinde tandem currendo levarum est, ut præstantissimus cursor evaserit:* provocat porro hic author ad CELSI consilium Lib. 4 cap. 9. dicentis: *vitium Lienis quiete augeri, exercitatione & labore minui.* Sacer Codex vitam hominis spiritualem & naturalem ambulationem vocat, & hanc temporalem vitam transitum & peregrinationem, imo cursum nominat; eapropter pedibus firmis sanus præditus est homo, quibus non modo totum corporis sistema sustinet, sed quaquaversum portat, ita ut tam propria corporis moles, quam exceptum reliquum pondus in pedum robur & officium ex parte redundet. Et sane curiosa meditatio, ad Staticam medicinam pertinens est, quod pedes non modo corporis pondus gestare, sed simul omnium motricium fibra-

fibrarum & partium motum specialem tolerare que-
 ant debeantque: hoc ipso enim motu augetur pon-
 dus corporis; dum quietum comparate levius illud
 redditur. Quanta & qualia cæterum corporis sint
 exercititia, si absque ulla ambulatoria commotione ad-
 ministrantur, aut insufficienti, aut palliativa utili ef-
 ficacia instrueta esse observantur: quam miseram,
 præter vilem tenuemque viætum, promittat remigati-
 um vitam, abunde constat: quid autem tabellariis vi-
 ta ambulatoria utilitatis conciliet, si intemperantia &
 reliqua ataxia vitatur, communis testatur observatio.
 Ob id BOHNUS de Offic. Medic. dupl. Part. I. cap. 20. p.
 412. asserit in itione, quippe quia plerique in habitu mu-
 sculi suo officia alternant & tota quæsæ machina exagitatur,
 plus in hanc & fluido ejus fructus superius indigitati p. 407.
 seq. redundant: hinc salubrior in universum est equitatione
 & vectura, quarum alterutram nibilominus eligere jube-
 mur, si crura debiliora, vel morbo obfessa, ambulationem si-
 milerunt motum nenuunt. Quantam vero vim habeat
 hæc ambulatio ex principiis & demonstrationibus
 physico-mechanico-staticis significat BORELLUS de
 Motu Animalium Propos. CLVIII. p. 192. ubi ita differit:
 dum homo incedit, semper machina ejus gravis solo stabili-
 initur, fulciturque a duritate columnarum ossicularum pedum,
 quæ innixio sit exiguo labore muscularorum, & minima mole-
 stia facultatis sensitivæ ob compressionem rendinum &
 distractiōnē membranarum. conf. AVICENNA Lib. 1. sen.
 i. doctr. 5. c. 25. p. 49. in annot. Quoniam itaque ab haç
 specie commotionis corporis quotidiana & eximia
 utilitas sanitati confirmandæ & reparandæ accidit,

B

eapro-

apropter hoc argumentum dignum judicavimus,
quo speciali explicatione & applicatione commen-
demus: hanc practicam tractationem, quotidianis
usibus respondentem MEDICINÆ AMBULA-
TORIÆ titulo, s. de Salubritate ab ambulatione ex-
pestanda præsenti Inaugurali Specimine exhibere &
succincte deducere annitemur: Huic conatui ut cœ-
lestis adspiret benedictio, humillimi suspiriis vove-
mus.

§. I.

Ambulationis salubrem exercitationem deprædi-
cantibus nobis viam ad congrua & limitata en-
comia proferenda aperit atque monstrat MERC-
URIALIS, qui *de arte Gymnaf. Lib. V. cap. XI.*
p. 329. mox ab initio hoc testimonium affert:
*Si ullum est exercitationis genus, quod illis, qui sanitati ope-
ram navont, maxime quærendum atque cognoscendum sit,
quodque ceteris quibuscumque frequentius a cunctis, fere ho-
minibus, omnique tempore exerceatur, unum procul, dubio
deambulationem esse nemo negabit: siquidem nullus est, si-
ve puer, sive adulterus, sive Senex, qui non modo eam præstan-
tissimam, sed solam exercitationem non credat, pauci tamen
reperiuntur, qui vel ratione, vel longo usu, quibus quæque
corporis partibus & profut & noceat, perfide animadverte-
rint.* Tituli autem præsentis illustrationem aliquam præ-
mittemus: respectu similitudinis hanc *Periporeticam* ap-
pellavimus Medicinam: ARISTOTELES enim in Lyceo suo
docens, *quotidie*, ut STANLEJUS in *Historia Philosophiae e*
LAERTIO commemorat, *Part. V. c. 6. p. 418. a. deambulans*
usque

usque ad horam, qua ungi Graci solebant, quod fieri ordinare ante coenam solebat. A deambulando igitur, quod nomen Gracis est, Peripatetica illa scola appellata fuit. Alii Peripateticum ex eo dictum Aristotelem ferunt, quod cum Alexandro, ex morbo nuper convalescente, ita deambulando de rebus philosophicis agere solitus fuerit: vocavimus propterea hanc Ambulatoriam Medicinam i. e. artem, qua vita & sanitati naturali humana congruo ambulationis usu consilitur. Sicut autem homo magis ad motum, quam ad otium destinatus est, proinde sub operibus, aut commotionibus, juxta commune suffragium firmiori sanitate gaudet, quam sub quiete & desidia, ita conveniens exercitatio corporis, quae ambulatione perficitur Naturae ordini & vita hominis admodum salutaris existit. Non exiguum sane Medicorum studium est, quod in commendis Motus corporis significandis impenderunt, in quo labore passim ambulationis mentionem fecerunt: & quoniam plurimi homines, pro reliqua vitae & fortis suæ conditione magis, facilius & commodius gressu se exercere possunt, ita hujus speciei motus corporis peculiarem commendationem tradere dignitas argumenti postulat; ne itaque homines incongruis commotionibus *damnum* magis sibi causentur, quoniam juxta ARISTOTELEM *maggis motus motui contrarius est, quam quies,* ita huic tractationi Peripatetica Medicinae titulum constituiimus, quia homines frequenti & convenienti ambulatione multum emolumenti pro firmitate & integritate corporis acquirunt: Ast quoniam qualibet Motus specie *excessus* committi potest, ideo ingenui medici officium est, ut certum gradum, modum ac ordinem indicet, qui in individualibus subjectis,

casibus & occasionibus hac Ambulatione vitæ & sanitati subvenire potest: quoniam verum illud est SENECAE effatum, *in Controversiis Lib. 4. non est utilis exercitatio, nisi quaer operi simillima est, ad quod exerceat.* Prout etiam ingressus communis motus est, quo præter hominem multa animalia ad ordinarias suas functiones indigent, ut propterea ARISTOTELES talem naturalem & universalem animalium motum dignum judicaverit in *libr. de motu animalium, s. incessu, s. volatu, s. notatu, s. reptratu,* singulare & selectu studio explicare, ita tamen peculiarem etiam annotationem meretur effatum HIPPOCRATIS *Lib. I. de Diæt.* quod homo edens sanus esse nequeat, nisi etiam exerceatur: contrarias enim inter se facultates habent cibi & labores, & tamen inter se mixti, conferunt ad sanitatem: inde igitur liquet, ambulationem certis sub circumstantiis, usibus & relationibus securum & sincerum sanitatis esse remedium: & prout homo non ad oria & desidiam, sed ad negotia & soleritiam natus & destinatus est, ut Deo, proximo & sibi ipsi serviat & ministret, ita hic ingenuus & assiduus labor hoc *commodi clandestino* velut modo secum afferit, ut vires naturales roboret, fragilitatem corporis indies reparet, & vitam sanitatemque confirmet atque conservare adjuvet: ob id vita hominum *sedentaria* tot molestiis atque *damnis* obnoxia est, ut propterea simplicissimo vivendi more & modo *ambulatoria* vita exquirere medica, omnibusque hominibus congrue commendanda & ordinanda sit.

§. II.

Veres Medici in recensendis, disponendis, distinguendis & commendandis diversis *exercitationibus corporis*

poris valde assidui fuerunt: provocamus ad HIPPOCRATEM, qui Lib. I. de Diæta §. 38. text. i. inquit: *confert & deambulationibus uti, tum a cœna, tum mane, itemque a cursibus:* consideratu digna hæc est consultatio, quod post cursus ambulatio exerceri debeat: familiare utique atque utile est, post *celeres* ac *diuturnos* cursitationes, quæ *nimiam* sanguinis turgefactionem, exæstuationem, ut & prodigam sudationem conjunctam habent, non *subito otio* & desidia indulgere, quod hominibus & animalibus proficuum est, ideo post *strenuam* talem commotionem aliquandiu *modicam* ambulationem continuant, ut successive *repestant* & immensus sudor minuatur, porro HIPPOCR. Lib. II. de Diæta §. 40. c. i. seq. ait: *Deambulationes etiam ipsæ maxime præ reliquis naturales sunt: babent autem quid violentum: Vis ipsarum talis est: deambulatio a cœna & alvum & corpus & venarem siccat, ipsumque amarum fieri non senti, ob hanc causam, text. 17. matutinæ deambulationes attenuant & partes circa caput leves ac agiles & promptas reddunt & alvum solvunt; attenuant quidem, quia motu corpus colescit & humiditas attenuatur & purgatur: conf. idem de victus rar. Lib. I. plura ibidem de ambulacionis virtute extant: GALENUS in describenda & laudanda ambulatione amplior est: ita in Lib. de articulis Hippocr. comm. Lib. 3 §. 73. differit: *Crurum siquidem ingresso sit, dum alterutrum per vices & firmatur & movetur: quando enim sinistrum firmatur, tunc dextrum a posteriore parte in anterius reducimus: eoque ibi ante collocaeo & firmato sinistrum rursus a posteriore parte simili modo prorsum movemus, sicque eo in anteriori parte firmato rursus ad dextrum promovendum redimus atque ita subinde facimus:**

mus : semper alterum erectum in terra firmamus , alterum
 quod moveamus attollimus : similem simplicem ambulatio-
 nis descriptionem ipse profert Lib. III. de Uso Partium
 cap. 5. Fit autem ambulatio altero quidem crure in terra fir-
 mato , altero autem circumlato : sed firmari quidem pedis ,
 circumferri autem totius cruris est actio . Quapropter cum
 perfirmationem & morum perficiatur ambulatio , illius qui-
 dem pedes sunt instrumentum , bujus autem tota crura &c.
 Non minori cura CELSUS variis locis & casibus ambula-
 tionem ordinat : Lib. I. c. 3. ait : qui toto die vel in vehicu-
 lo , vel in spectaculis sedie , huic nihil currendum , sed lente
 ambulandum ; & Lib. 4. c. 4. de difficult. spirandi , nihil ma-
 gis prodest , quam ambulatio lenta , pene usque ad laetitudi-
 nem , & JOUBERTUS de Gymnosoph cap. 21. Commodo exer-
 cent , inquit CELSUS Lib. I. c. 2. clara lectio , arma , pila , cur-
 sus , ambulatio , atque hoc non utique plana commodior est ,
 siquidem melior adscensus quoque & descensus cum quadam
 varietate corpus moveat , nisi tamen id perquam imbecillum
 est , melior autem est sub divo , quam in portico . Quod au-
 tem ambulationis utilitatem medicorum attinerat , tunc GALE-
 NUS in Libris de sanitate tuenda eandem iteratis locis com-
 memorat & commendat : JOEP SERUS in manuductione ad
 vitam longam Part. I. cap. 9 p. 87. scribit : aliae sunt medio-
 cres exercitationes , qua mediocriter corpora exercentes ,
 absque notabili virium detimento contingunt , quin imo
 virtutem roborant , ut equitatio , deambulatio &c. quibus
 docente GALENO Lib. 2. de tuenda sanit. qui exeretur simul
 & agit & agitatur : in quibus si modus servatus fuerit , cor-
 pora pura redduntur , defluxiones catarrbosa impediuntur ,
 virtus universi corporis florida servatur , vita denique lon-

gava

gæva fundatur & radicatur. Antiquiores itaque medici solerti studio varia artis *gymnasticae* & reliquarum excitationum corporis specimina indicarunt & commendarunt, quæ pro discrepantia *subjectorum*, *æratum*, *virium*, *status* & *gradus* sanitatis, *dispositionis* ad certos morbos, *vita generis*, caufarum *morbificorum* aliorumque respectuum eximio sanitatis levamine in usum tracta & ulteriori imitatione digna sunt: sed videtur illa *vetusta* ambulandi consuetudo *recentiorum commoditati*, *sensibilitati* & forsan plane ignaviae *molesta* magis & tædiosa esse, interea illa e ruderibus antiquitatis protrahenda & ulteriori usui quovis modo ac congruo ordine probanda & commendanda est.

§. III.

Sed ne *ambulationis* usus tantum *extrinsecis* respectibus humanis & non *intrinsecis* ac domesticis, *vita* & *savitotis* ministrantibus relationibus, dicatus esse videatur, ita significandum merito est, illum etiam *antiquitus* certo exercitorum choro & gradu annumeratum fuisse. Exercitatio quidem juxta veterum stilum *fortiorem* complectitur corporis commotionem, quæ ab ambulatione, velut *leniori* & placidiori motu separata esse apparet; attamen pro diversitate *finis* atque usus hæc æque *temperatoribus exercitiis* corporis annumerari potest, licet cæteroquin *intensiori* omnino gradu interdum ille ingressus administrari queat, quando quidam certatim ambulant, licet non currant, aut *longiori* ac *citatiori* gressu mit einen starken Schritt meram suam citius attingere conantur. Allegamus hac occasione *MERCURIALEM de ort. Gymnas.* Lib. 2. c. 1. p. 112 sq. *Exercitationem definivit Golenus secundo*

do de tuer. val. & ipsum securus Aëtius esse motum vebemens-
 tem, anhelitum alterontem, ubi φυγαρίον, νίνην & πύνον,
 sive exercitationem, motum atque laborem inter se differre
 demonstrat: propterea, quod motus est res quædam magis
 communis atque pluribus convenientis, quam exercitatio,
 cum sæpe multi moveantur, neque exerceri dicantur, exer-
 citatio vero non sit, nisi vebemens motus: similiter labor,
 licet vebemens sit motus, tamen non omnis labor proprie
 vocatur exercitatio, siquidem fodientes atque metentes
 laborare, sed non proprie exerceri dicuntur; tametsi etiam
 aliquando communi quadam appellatione labor exercitatio
 vocatur, & Lib. V. c. XI. p. 239. inquit: sæpe invenire est a-
 pud auctores medicinæ Græcos & Latinos, præcipi simul am-
 bulationes & exercitationes; quasi illæ ab his separatae nec
 exercitationes sint; quorum sententias sic interpretari volo,
 ut semper dum ipsas sejungunt, sub nomine exercitationum
 eas, quæ proprie ita appellantur, significant; cum ambu-
 lationes communiter & non proprie exercitationes appellari
 mereantur. Chr. a VEGA de art. med. Lib. 2. Sect. 2. p. 134. a.
 dicit: exercitationem non omnem corporis motum appella-
 mus, sed validiorum, ita ut respiratione ad crebritudinem us-
 que mutet: aderunt enim jam magnitudo & celeritas. Sed
 dum exercitationum varii modi, gradus & scopi sunt, ita
 congrua applicatione horum respectuum ambulationem
 etiam exercitationem nuncupare possumus: quare GALE-
 NUS de tuend. sanit. Lib. 2. cap. XI. ait: ambulatio cur-
 susque crurum exercitationes sunt: Eo ipso autem dum ta-
 lis ambulatio pro sanitatis tutela suscipitur jure merito-
 que similibus exercitiis, usui medico quadrantibus, annu-
 merari potest & debet, præprimis dum medicina consul-
 tatione

ratione & ordinatione illius *artificialis* directio & dispositio instituitur, cum non *promiscue* pro quolibet subiecto atque casu commendari debet, siquidem cum hoc medio, sanitati dicato, *excessus*, *defectus* & multiplex *ataxia* committi potest: quare *Jul. ALEXANDER Lib. V. Salubr. c. 3.* *sq. & HORSTIUS inst. medic. disp. 20. f. 3.* *ambulationem exercitiorum generibus adscribunt.* Et haec exercitatio corporis eo magis se *usui medico* commendat, quia ordini *naturalis* facilius responderet, sub libero horum *arbitrio* stat, dum *augeri* & *minui* potest, præcipue *præservatorio* scopo apprime quadrat, singulari *moderamine* corpus afficit, *universum* corpus, quoad *in-* & *externas*, supernas & infernas partes *aqualiter* alterat, qua facilius ab *excessu* variisque *accidentalibus* turbis præcaveri & liberari potest. Proinde haec deambulationes eo se commendant effectu, quod aliis exercitationibus fortioribus talem *temperiem* conciliare debeant, ne illa nocumento, quin potius emolumento sint, ideo ab antiquioribus *apotherapevticæ* exercitationes vocatae fuerunt, quæ *præcedentibus fortioribus* exercitationibus mox subordinari debebant, ut superius monimus; hujus *apotherapiæ* mentionem faciunt *HIPPOCR.* impr. autem *GALENUS de sanit. tuend. Lib. 3. c. 2 seq.* *JOUBERTUS de gymnasiis* cap. 25. *ORIBASIUS Collect. L.VI. c. 21.* *MERCURIALIS l. c. Lib. V. c. XI. p. 329.* Et licet hic motus corporis *vulgaris* ac *vilis* esse videatur, ramen illius modum fiendi atque processum *GALENUS in Isagoge de medicæ artis constitutione* cap. 4. & amplifice satis *Fabr. ab AQUA-PENDENTE Opp. p. 332. sq. de Gressu* explicarunt, qui propterea morus se ipsum singulari suo successu, eximio valore atque robore, nec non exquisita utilitate in omnibus

C

indivi-

individuis abunde commendant; adeo ut huc seorsim quadret, quod generatim de omissione consuetorum exercitiorum **GALENUS Lib. i. de diff. Febr. c. 2.** indicat, eam videlicet *ad omne morborum genus disponere*, vid. **Zacut. LUSITANUS Med. Princ. Hist. Lib. I. b. §. 28. dub. 15. comment. p. 52. col. 1. liz. E.**

§. IV.

Ambulatio medica sicut peculiarem respicit *finem*, ita etiam singularia requirit *Subjecta*, quibus *hac* species commotionis corporis *salubris* esse observatur: quam ob rem proxime horum *Subjectorum* relativam qualitatem annotabimus: Quod enim *Ætati* respectum attinet, tunc *ambulatio* præmatura *infantibus*, *viribus* æque ac mollitie & *gracilitate* membrorum *imbecillibus* perquam nociva est, quoniam facile *subluxatio* juncturarum, aut *perversa* confirmatio harum, *inæqualis* nutritio membrorum, *rhabditica* dispositio, *berniosa* afflictio, spongii *tumores* circa *juncturas* & *fungosa*, aut alia turbulentia concrementa, nec non *spina ventosa* consequuntur, ut propterea impatiens muliercularum *coœlio* infantum ad gradationem valde raxanda sit: ob hanc ineptitudinem naturalem itaque *hac* commotione *buic* ætati nec *sanitas* confirmatio, nec *morborum* præservatio, sed potius variorum *morbosorum* incommodorum acceleratio excitatur: licet cæterum huic *zenellulae* ætati *aliae* corporis commotiones, quippe agitationes *jeætigatoriæ* & *vibratoriæ* in *incunobulis*, modicæ concussions in brachiis similesve, absque tamen *impetu* & celeritate administrandæ, ut & convenientes & iterate stationes, quo pedibus insistere & *successive* incedere discant, ordinandæ sunt: Nec *pueris* *sonis* ambulatio medi-

co

eo scopo commendari & injungi debet, cum rectius *hunc*
vagae & fugaci ætati consueta *nimia* ambulatio & curfitationis
 excessus *freno* quodam coerceri mereatur, quoniam
 ab hac inquietudine magis sanitatis *dispendia*, quam com-
 moda exspectanda veniunt: ideo *popularis* illa præsum-
 ptio & meticuloſa *prognosia* innoruit, *male* de sanitate pue-
 rilis ætatis res constitutas esse, si eadem *desidia* multum
 indulget: attamen *nonnullis* talibus valetudinariis subje-
 citis *moderata* obambulatio pro *virium* tolerantia æquè
 commendanda est, præcipue si *atrophia* & viscerum *obstruc-*
tiones initia capere solent, si reliqua *nutritio irregulari*
 continuat successu, si ominosa *ordiniorum* excretionum
retentione & imminutione laborant, si *opportitus* in iisdem
 languescere & *desicere* inchoat, si membra *obrigescere* &
stupescere solent, si inquietis & turbulentis noctibus ve-
 xantur, si *defluxionibus* ad articulos affliguntur, si ob nimis
oxiosam vitam *torporem*, gravitatem & imbecillitatem
 membrorum sentire inchoant &c. quibus causis & effecti-
 bus morbos proinde in hac ætate *congrua* deambulatio
 non minus utilis esse deprehenditur. *Senibus* etiam, quippe
 universo corpore singulisque partibus comparate *debi-*
libus, tanto magis quoad femora atque *pedes* infirmis, qui-
 bus non modo vires generatim deficiunt, sed & *instru-*
menta, ad motus exercendos necessaria, obrigescunt, gra-
 cilescunt & *materiāliter* etiam sensibiliter inepta reddun-
 tur, ut ob eorum *extenuationem* motuum vigor expiret,
 quæ partes propterea reliquam corporis molem ægerri-
 me sustinere & *gestare* possunt: quamvis relative *paucis*
 id naturale contingat robur, ut ad *seram* usque senectam
vegese progredi variisque officiis atque laboribus fungi

potuerint, de quibus ad aliorum admirationem testari solent, sie hätten bis an ihr End zu Weg und Steg wandlen können: quin rectius juxta communem observationem homines *languescētis* ætatis & *infirmæ* Senectutis indicia ex parte in *capite*, ex parte etiam in *pedibus* sentiunt, dum illuc decrementum vigorosæ mentis & sensationis, hic autem defectus roboris ingruit, de quo posteriori exclamare ac querulari solent, die Potentaten wollen nicht mehr recht secundirn, quibus itaque *frustra* ambulatio, sed potius *alia* exercitationis aut motus species commendari debet, quia *ultra posse* nec *naturaliter* quidem ullus obligatur: ob id huic ætati *non* quidem *ostium* absolutum, aut *sedentaria* probatur & conceditur vita, sed *modica* & *congrua*, nunquam autem coacta, operosa & *magnam* lassitudinem inferens ambulatio ordinanda ac in sanitatis tutelam præcipienda erit: *Quousque* autem Senibus, ob reliquiam valetudinem, *aliqualis* supereft vis, eo usque *comparate* instructa obambulatio nihilosecius illis *aliqualem* salubrem effectum promittit: testimonio eorum, qui *extra* senii periodum adhuc *laboriosi* & hac ambulatione solerter fuerant, nunc autem sub senectute *desidia* quantis per indulgere, quod supereft viræ, in *quiete* commode & indulgenter transfigere gestiunt, aut requiescere suscipiunt, ast nunc *adversa* valetudine conflictari ac sensibili imbecillitate corripi inchoant: huic considerationi addimus B. WEDELII effatum, quod sub congrua interpretatione præsenti observationi applicari potest, *in diss. de Motus corporis humani natura, usu & abusu p. 16.* *in decrementi ætate constituti, ob spiritus deficientes & serum vapescens,* odoque siccitatem præsentem, contenti motu remissori & *parcia-*

parciori esse debere, ut & spiritus & humidum utile magis conserventur: unde & sudorem a motu vitare eos oportet ac loßitudinem, quorum loco famis sensus pro termino motus suscepit potest sufficere.

§. V.

In qualitatibus Subiectorum conferendis ratio etiam habenda erit *Temperamenti*, i. e. specialis *proportionis*, relationis ac *motus fluidorum & solidarum* partium ad se in vicem, certae proinde fabricæ corporis, ut & *naturolum moralum, animalium & vitalium* functionum ordinis, gradus, scopi, successus & effectus: quibus discrepantibus respectibus & attributis idealibus & physicis, *diversi motus corporis gradus* atque usus ordinari merentur; Qui cunque itaque hominum quoad temperamenti qualitatem naturali *robore* ac virium *præstantio* pollent, ii rectius *hac ingenita*, quam aliena & *muruatitia* virtute utantur; & hi *præcipue* sunt, quibus deambulatio *præ aliis* confert, dum non modo *proprias* suas vires in *perenni* exercitatione conservant, ne *languescant*, aut pigritia & *negligentia* adsuescant, sed potius in eodem vigore continent & accrescant: quam ob rem sic dictis *cholericis* ambulatoria corporis commotio, modo *æquabiliter*, temperanter & constanter exerceatur, magnam utilitatem promittit: quibus vero *immodicus*, impetuosus & acceleratus illius usus varia *nocumenta* minatur, quoniam distincta *sanguinis fluiditas*, seri *acrioris*, subtilioris & *biliſi abundantia* & eximia ad *orgasmum* ominosum proclivitas, proinde magna ad *prodigos* excretiones propensio, *vehementes* ac simultaneas tales obambulationes ægerrime perferunt: ut ita selecto moderamine opus sit, si in cohorte quadam

C 3

aut

aut socialitate diversorum hominum, quoad animi & corporis dispositionem perquam *variantium*, antecessores, sine judicioſo diſcrimine officium ſuum ita immutant, ut *ſeducentes* fiant praecurſores: quare moderamen *omnibus* conſert. Et ita etiam *Melancholici* non modo *affidam* & *præſtantem* talem commotionem corporis optime perferunt, ac ſub eadem ſirmius & *diutius* perdurare poſſunt, ſed & magnum ac efficax in eadem *ſanitatis* inveniunt *præſdiūm*, quoniam mediante illa ſanguis *pleniū* & *liberalius* per univerſum corporis tractum diſtribuitur, inde autem viæ, canales & organa pervia & permeabilita redduntur, ipſe ſanguis magis *attenuatur*, *color* naturalis reperfeciens & torpescens magis *excitatur* & augetur, *mixtio* humorum, ut *temperatior* reddatur, adjuvatur, *abſterſio*, ſeparatio & evacuatio *impuritatum* promovetur: indeque *universæ* cœconomiae vitali eximum commodum conciliatur: ſiquidem hujus temperamenti homines *naturali* magis inclinationem ad *hanc*, quam *aliam* exercitationis ſpeciem continent, ſub qua non tam cito aut facile in *moleſtam* ſudationem conjiciuntur; quea diversa commoda propterea talia ſubiecta ita tacite & placide diſponunt, ut *laborioso* & *agili* vitæ generi facilius *adſueſcant*; *Sanguineis* quidem singularis adeſt ad movendum corpus *pronitas* & propterea facile in *infabile* & inquietum vitæ genus tranſeunt, inde autem multiplicibus *moleſtias* ſe ſubmittunt: hinc ſub ambulatione cito ac valde *exauſtantur*, nimium in peripheria corporis *infantur*, admodum *rubore* perfunduntur, *opplerorio*, *distensorio* & *gravativo* ſenſu inquietantur, in *prodigum ſudorem* effunduntur & conjiciuntur, facile & valde *delaffantur*, variis que

que connexis molestis sensationibus & effectibus subjiciuntur: quibus propterea *temperata*, iterata, nec nimis, continuata, sed *limitata* obambulatio injungenda est; qualis moderata illius motus dispositio *sanitati* positive *subvenit*, alia autem maxime *infensa* existit: & hisce imprimis *mediocres* deambulationes præ omnibus reliquis commendari merentur: quam mediocritatem generatim MERCURIALIS de arte gymnas. Lib. V. cap. XI p. 330. seq. extollit, dum inquit: *atqui deambulationum simplicium mediocris ceteris omnibus magis ex usu est*: Et porro: *mediocrem autem appello ambulationem, quæ inter differentias, superius enumeratus, nihil alioquin excedit, aut deficit, & WEDELIUS l.c. p. 15. ait: qui calidi simil humidi sunt, illi paulo majorem & copiosorem, intra mediocritatis tamen terminos constitutum motum ferre possunt.* conf. QUERETANUS diæt. & polyhist. Secl. 2. c. XI. quod denique Phlegmaticos concernit, tunc quidem hi ad ambulandum rædijs valde, segnes & lassi sunt, qui tamen eo adigendi & urgen- di, quoniam ambulatio iisdem admodum multis effectibus *utilis* existit: quare etiam *crebra & multa* talis commotio illis fructuosa est: MERCURIALIS l.c. p. 332. afferit: *vehemens* sive nimia deambulatio frigidos adjuvat, & ea ratione a Cetso ad debellandum corporis tremorem usurpatur: & WEDELIUS l.c. p. 15. testatur: *frigidiores existentes homines, qui una humidi sunt, moribus vebementibus & velocioribus sufficiunt, diutiusque sustinent, unde copiosè se move-re possunt, utiliter, ut & ambelitus inde mutetur, caloremque percipient ac sudoris initium &c.*

§. VI.

Multum etiam refert in Ambulationis usu medico
emen-

emendando rationem & relationem *Virium* in *Subjectis* instituere, in quantum illæ cum *ætate* & *temperamento* conueniunt, aut *individuali* aliqua qualitate præditæ sunt: in quibus itaque *sufficiens* & conveniens virium robur deprehenditur, illi homines *sedulo* exercitio ambulationis operam dare debent, ne laxius, *negligentius* & indulgentius corpus suum tractando, huic commotioni facile *desuescant* & in sordidam *ignaviam*, turpem torporum, præjudiciosam membrorum *gravitatem*, contumeliosam & fastidiosam aversionem a libera tali exercitatione corporis, perniciosa *obrigescientiam* membrorum &c. incident, facile enim homines otioso & desidioso vivendi generi *adsuescere*, inde autem varia *sanitatis detrimenta* acquirere possunt & soleant: quod si etiam in non nullis *subjectis* talis *adsuefacta* segnities ac noxia desidia deprehendatur, tunc eadem pedetentim & placide modica, leni & brevi, successive autem augmentanda tali exercitatione ad salubrem hunc motum *adsuefaciendi* & reducendi sunt, ut *animus* agili & prompta resolutione, *corpus* autem flexili activitate instrui & mobile reddi queat. Deinde autem in quibusdam *subjectis* observatur *naturalis, limitata* tamen & comparata *imbecillitas*, quæ vero sub *moderato* deambulationis exercitio sublevari, & quadam tenus roborari potest, sicut *Sanguineis* & *Pblegmatiis* hoc familiare est, quæ ob mollitatem aut segnitatem virium suarum modulum applicare recusant, ideoque ad *majorem* infirmitatem disponuntur, quam dein multifaria vita & sanitatis offendicula consequuntur: in hisce autem ejusmodi infirmitas facile *corrigi* potest, modo praesens sedentaria vita cum ambulatoria assidue commutetur;

&

& tales otiabundos serio interdum excitare, compellare & commonefacere decet: *surge & ambula*. Nonnullis autem connata & hereditaria adhæret infirmitas & hæc quidem vel *universalis*, vel in *pedibus* particularis, deinde alia est naturalis, alia *adventitiosa* & hæc a variis causis *præternaturalibus* dependere solet, v. g. a prægressis insultibus epilepticas, a multa vexatione verminosa, a præviis malignis *variolis*, ab inconvenienti pusionum tractatione, ab incongrua & præmatura eorum statione, a qualicunque alia *violentia* inferiori corporis regioni illata, ab affectu rhachitico, a *calculo vesicæ* infantum & puerorum, ab *hernia* &c. quibus subiectis, sive in *juniori* ætate comprehensis, sive ad *adultiorem* proiectis, quando adhuc talis corporis *debilitas* familiaris est, discreto sub *moderamine* modica, nec tamen promiscua, aut coacta ambulatio ordinari debet: quibus itaque hominibus vires *reapte* tam eminenti modo deficiunt, in illis hæc *cogi* & urgeri non possunt, in quibus vicissim vires *mala* consuetudine *corruptæ* & seductæ sunt, in illis utique *conveniens* ingressus usus *medicam* suam utilitatem præstare potest. Ideo etiam prudentis medici officium est, quo in hac observatione *personalis consuetudinis* considerationem conciliet: pertinet huc adæquatum judicium WEDELIT l.c. p. 17. Si inadsueti moveri debent, parce, remisse & successiue movendi sunt & pedetentim motus augendus, ut sic ad gradum debitum tuos perveniant: per plures dies hinc debilis in his motus continuandus, quem successiue fortior paulo excipiat. Ex consuetudine enim nonnulli torpescunt & vires suas naturales languescere & vappescere permittunt; quec deperdita subiecta propter ea ad ambulandum & laborandum *adigenda* sunt, ne ex

D

otio

Ordo sanitatis dispendium patiantur: Sicut enim labor vi-
res & corpus confirmat, ita interdum ambulationis con-
*gruus & constans usus præviam *simularum* imbecillitatem*
certius, quam speciosum medicamentum corrigit & im-
*mutat, quæ propterea sepe vices efficacis & securi *robo-**
**rantis* mediū gerit: ob id nec medicum, nec illum, cuius*
maxime interest, detergere debet, si ob aliquam infirmi-
tatem & marum tedium atque torporem quædam sub-
jecta ab ambulationis usu confessim abstinent, si forsan
*ille ab *initio* paulo operosior & molestior fuerit, aut expe-*
ctata opem non confessim obtulerit; cum verius ejusdem
commotionis continuatio successive tandem illam desidera-
tam utilitatem abunde affert.

§. VII.

Huic *Subjectorum* scrutinio, anneximus contemplationem & dijudicationem *SEXUS*: quoad hanc enim qualitatem videntur masculi & *corporis* firmitate & *virium* robore & *animi* alacritate, sicut ad *labores* in *genere*, ita seorsim ad *ambulationem naturali* dispositione & destinatione magis esse habiles & dicati; attamen nec *debitor* Sexus *valde* & multum desidiae indulgere debet, sed æque necessaria *ambulatione* corpus suum in *sanitatis* commodum sufficenter exercere potest & debet: uberrima enim observatione constat & confirmatum est, fœminas vi-
lioris fortis, aut agresti vitæ generi dicatas, ob eandem *negotiosam* ac multæ obambulationi deditam vitam admodum *fanas* & robustas esse, adeo ut in gente ruricola uti rarum, ita mirum videatur, si junior fœmina adversa conflictetur valetudine, ni *crossi errores* diæteretici, *violenta* corpori illatæ, infelicia puerperia & hujus qualitatis similes

similes cauſe eo disponant: & quid vicissim familiarius
 est, quam fœminas *porum* ambulantes & multum *defidæ*
 inhærentes ferme indies *valetudinarios* esse. Et quoni-
 am in hoc ſexu, extra celsioris ſtemmatis & fortis sphæ-
 ram, raro ſubiecta aliis corporis exercitationibus operam
 dant, ita vœtūræ, aut gestationes in lectica haud tantam
 utilitatem, ac deambulationes largiuntur, modo iterum
 fœminæ, ſexus ſui präconceptæ & affectatæ teneritudi-
 ni non nimium indulgeant, quippe quod idolum ad va-
 ria viræ & sanitatis præjudicia ſeducit: & quando fœ-
 minæ *viris debiliores* judicantur, rantaſ tamen vires poſſi-
 dent, que ſub *affida* & *moderata* deambulatione ſanæ
 earum integritati conſervandæ & ſublevandæ ſufficienter
 ſatisfaciunt: hinc WEDELIUS ait: *I. cit. p. 16. fœmina cum*
frigidiores & ſeroſores ſint magis, textura autem tenuiori
gaudeant, a meru valente & multo juvante: & lane re-
latiue plurimi fœminarum morbi a vita oriſta, parco po-
tu & turbulentu animo oriuntur: de aſtlerice vicissim fa-
nis & agili valde viræ deditis fœminis, vulgo dicitur, ſie
waren wie ein Soldat. Quantum etiam ipſis *Gravidis i-*
gnava, torpida, defes & lecto affixa vita damni & calamiti-
*tatis afferat, moderata autem ambulatio *Graviditatis* &*
*ſequentis *Partus* ſtatim & ſuccellum ſublevet, & innu-*
meris exemplis & multiplicibus rationibus atque ſuffre-
giis probari poſſet: ob id uberrima varii respectus
*reſtimonia uſum *ambulationis* in fœminis eximie com-*
mendant, dum ex antiquitate conſtat, altioris & ho-
*norotioris fortis fœminas ſolertiore ſua *ambula-**
via ſeconomia magis firma instru&tas fuiffe ſanitate,
*quani recentiores ſub reliquo *commodo, lauto & delicato**
 D 2 opulis dñi 1610 suo

suo vivendi genere, quæ propterea citius splendidæ suæ
 vitæ imponunt *finem*: & quid *feminis*, ita *indulgenter* vi-
 ventibus, familiarius accidit, si frigidam aquam ne extremis
 quidem digitorum apicibus attingere & duram terram pe-
 dibus calcare, audent, sed suppositis culcitrīs, foveri malunt,
 quam ut *pedibus* valde *infirma* reddantur, velut *contractæ*
 appareant, ingressum quasi *claudicantes* anseres assumant,
 aliorumque ludibrio se exponant: si iraque per *asperem*
 plateam aliquando spatiantur, tanquam super rencenter
 deposita ova incedunt, omnibusque viribus quasi *desstitu-
 tæ*, facie autem pallidae, insuper etiam *infirma* ac insta-
 bili sanitate præditæ conspiciuntur. Hisce qualitatibus in
Subiectis, ad ambulationem *medicam* suscipiendam *apris*,
 annumeramus adhuc proceritatem, *corpulentiam* aut *obe-
 sitatem*: hac instruti homines magis *alienis*, quam *pro-
 priis* viribus loco moveri & gestari cupiunt, quibus cor-
 poris *moles* quadanterus *impedimento* est, ut ralem mo-
 tum valde *aversentur* & lassitudinem, quam inde sentiunt,
 molestissime tolerent; quibus tamen ob varias rationes
reperita & *moderata* itio aut ambulatiuncula valde *utilis*
 existit; quæ si non *diutius*, quam *par* est, continuatur, nec
immodicum sudorem prolicit, nec respirationem valde an-
 git & opprimit, sanitati perquam proficit: testatur hoc
 suo nutu, præter *rationis* & *observationis* consensum,
 WEDELIUS loc. cit. p. 16. dum differit: *babitu corporis obeso*
predicti, optime se a motu *crebriori* *babene*, qui tamen alias
non nimis sit vobemens: præterea conf. SEBIZIUS de *crassi-
 tie* & *corpulentia sonorum naturoli*, SENNERTUS *Prax.*
Lib. V. Part. 1. cap. 4 TRINCAVELLUS *Conf. medic. Lib. 3.*
conf. 101. SCHAPERI & ETTMÜLLERI *diff. de obesit.* & *cor-
 pulent.* *nimia* *aliique*. §.VIII.

§. VIII.

In ulteriores, ampliores & specialiores *utilitates ambulationis medicas* transeuntes, precursum deprehendimus *Prosp. ALPINUM in Medicina Methodica Lib. 3. cap. 5.* ab initio ita profitentem: *deambulatio inter omnes exercitaciones & ad tuendam valetudinem, & ad complures effectus personandos, est utilissima:* hæc utilitas generalibus adhuc momentis dilucide satis sese comprobat, dum hæc commotionis corporis species imprimis sub *arbitrio* hominis, quoad multos respectus consistit, ut non quidem illam aut *ultra vires* exercere, aut ultra *confuetudinem* urgere & intendere necessitas requirat; quare in eo etiam *differentiam* hujus motus MERCURIALIS & ALPINUS ponunt, quando ratione *gradus & ordinis*, quoad *locum & tempus* illum discrepare adserunt, quippe qui respectus, imprimis sub *voluntatis* directorio positi sunt, dum deambulationes celeres, tardæ, vehementes, remissæ, multæ, paucæ, mediocres, longæ, breves, rectæ, reversivæ, in montibus, in viis planis, sub dio, sub sole, in libero aëre, in loco umbroso &c. &c. institui possunt. Principalis autem commendatio de hoc motu corporis ex ipsa forma & indole ejus peti potest, de quo momento recte PECCHLINUS *Lib. 3. obs 35. p 502.* inquit: *Ilio vel ambulatio pluviculum confert ad Sanitatem, quippe in qua actionis æquilibrium servatur & sua invicem officia musculi alternant.* Ex hoc vero motu fieri non potest, quin plurima inde bona in corpus omnesque ejus actiones redundant: cum enim universa simul machina in iunctione laboreat, musculorumque omnium sit velur quidam lusus fibrarumque palpitatio, fluidi circuitum zoto corpore ex æquo respondere necesse est, a

quo cum viscera habitusque corporis robur suum atque color
 rem accipiant, utique etiam tonum illorum actionesque in il
 la sanguinis per motum divisione mirifice confirmari credi
 bile est: accedit consensus BOHNII de off. Med. dupl. Part. I.
 cap. 20. p. 412. in itione, inquit, quippe quia plerique in habi
 tu musculi sua officia alternant & tota quasi machina exagi
 ratur, plus in banc & fluida ejus fructus superius indigitati
 redundant: hinc salubrior est in universum equitazione ac
 vectura, quarum alterutram nibilominus eligere jubemur,
 si crura debiliora, vel morbo obessa ambulacionem similem
 ve motum renuunt: addimius BEHRNS suffragium in Select.
 diet. Sect. 4. cap. 2. f. 6. p. 411. saluberrima species motus est
 itio s. deambulatio, utpote in qua musculi sua invicem officia
 alternant, actionis & equilibrium servatur, totum corpus le
 niter, idque juxta abituum nostrum commovetur, & aqua
 omnis motus commoda exspectanda. Actio enim ambula
 tionis robustiori quidem virtute pedum femorumque mu
 sculos afficit, sed dum sub eadem progressione corpus
 in erectiori situ firmiori efficacia contineri debet, ne
 quaque aquaversum fluctuer & equilibrium restitudinis la
 edat, ideo & dorso & superioris regionis musculi conve
 nienter suam cooperationem administrant, ut brachia ve
 lorum aut remorum vices gerere videantur; que se
 ras motuum ita tacita & placida est, ut nisi ipsa ambulatio
 difficilior & operosior evadat, vix aliarum partium concurre
 sans actio percipi queat: quodsi autem gradatio & pro
 gressio intensior & citior aut adscensio aut descensio fuerit,
 tunc ad sensum etiam manifestum redditur, quanta co
 operante virtute motrice reliqua corporis regiones ne
 gotiosae sint: Ne quis itaque judicet ambulationis mo
 tum

tum *infimam* tantum corporis regionem attinere & afficer, ideoque ratione *medicae* destinationis hasce modo partes alterare, hinc ex ipso *simplicissimo* illius processu indicare placuit, quod sub eadem motu *universum* corpus *afficitur*, unde de illius ope *rotum* omnino corpus participat: haec consideratio illas *objectiones* declinare potest, quae *banc* corporis exercitationem minus artificiosam & *spuriousam*, magis autem *vulgarem*, *vilem* & *plebejam* aestimant, dum illa praे omnibus reliquis, quippe *spontanea*, ira plus quam alia *naturalis*, libera & usitata existit. Proinde etiam eadem *ambulatoria* corporis commotio *continua* sua actione *omnia* viscera & organa, *triplici* cavitate inclusa, modica *concussione* ita *placide* afficit, ut illorum *functio* perquam *sublevetur*, dum in perenni *fluctuazione* consistunt & *æqualem* atque sufficientem humorum *transitum* per vasculosam & cribrosam illorum texturam promovent: Et haec commotio ea magis *illis organis* congrua existit, quo magis horum *fabrica taxa* atque *mollis*, illius autem *efficacia temperata* & lenis est: ut in hac exercitatione, quantum cursitatione & insultante *vehementia* discreta manet, nulla *vis*, aut pernicioſa *coactio* inferratur. Simplex haec veritas ex *opposito* facile confirmari potest, quando a *sedentario* vita multa incommoda, in *universo* corpore *variis* speciminibus sese generantia & exhibentia, oriuntur, quae nullo *meliori* & certiori remedio mitigari, aut plane curari possunt, quam *convenienti* corporis exercitatione, quo haec medicina ambulatoria comode referri meretur: quare ab antiquioribus medicis, quippe ab *ÆGINETA Lib. V. c. 3. Lib. 3. c. 63. 68* ut & a *Cel. AURELIANO Lib. II. tard. pass. c. 2.* haec *deambulatio meta-*

syncris-

syncreticis auxiliis adscribitur, quippe quæ in morbis *in-veteratis*, dum alia remedia *opem* desideratam non prästi-
terunt, prioribus substituuntur & ut *efficaciora* ordinan-
tur ac observantur.

§. IX.

Proximum jam est, ut nonnullos *salubres* & usui *me-
dico* respondentes & inservientes *effectus*, quos ambula-
tio procurare solet, indicemus: quo ab hisce ad reliquam
applicationem *artificialem* medicam, i. e. ad *ordinationem*
ambulationis in *præservandis* morbis & *mitigandis* variis
morbosis insultibus & molestiis, progressum facere valea-
mus. Quare Ambulatio generatim *motum sanguinis* val-
de *sublevat*, ut non modo refluxus illius per venas ad
cor facilior & cirrior evadat, sed & reliquus connexus
progressus celerior & intensior reddatur; quare inter
ambulandum & *pulsus* & *respiratio austior*, plenior, *vege-
tior* & operosior observantur: ob id in *difficili*, tardo &
impedito sanguinis *circuitu*, *bujus medii* congruus usus &
efficax & securus evadit, quo arduum & intricatum tale
præjudicium averratur & mitigetur. Alius effectus salu-
taris inde *indubie* expectandus est, quod ab ambulatione
sanguis aequaliter per *universum* corpus, ideoque ab *intra-
extrorsum* & vice versa, a supernis in infernas & versa
vice partes *distribuatur*, qua de causa *particulares humo-
rum stagnationes*, collectiones & accumulationes dissol-
vuntur, variaque sanitatis offendicula intercipiuntur:
quicquid itaque cum hac universalis sanguinis diribitione
connexum est, per functiones vitales & naturales, id ab
eodem ambulationis usu in sanitatis commodum effectu
apprime *medico* reddit: in quantum enim sub ingressu mu-
sculi

sculi intensori vi motrice instruuntur; in tantum sanguinem transfluentem potentius impellunt, ut undiquaque plenius & facilis penetret. Porro ambulatio *intimorum* sanguinis ingressum in *peripheriam* corporis adjuvar, ideoque illius *permeabilitatem* & pororum cutaneorum aperturam promovet, inde evenit, ut habitus corporis extrinsecus *vivaci* colore & *rubore* magis instruatur & *transpiratio* insensibilis revocetur, augeatur & in faciliorem sudationem convertatur: quare hoc medium sanitatis & *cacochymicis*, & *cacheticis*, & *tordius sudantibus*, & *stricta* atque densa *cute* præditis, & illis quibus sanguis magis ad *inferiora* revehitur &c. securum & *salubre* existit. Prædicti effectus proximum hunc etiam pedissequum inferunt, ut sub majori & potentiori motu *sanguis* & singuli *speciales* humores, si *croffores* & *viscidiores* fuerint, eximie *subtilisentur* & ad futuram *faciliorem* progressionem admodum disponantur; hinc suspectæ *stagnationes* vasorum & oppletorii infarctus viscerum valde avertuntur & si tales alicubi jam præsto, insuper autem adhuc *tractabiles* fuerint, facilis hoc subficio *resolvuntur*, *graviores* autem ita mitigantur, ne periculosa acquirant *accrementa*, sed reliqua, ut *pharmaceutica* auxilia *melius* operentur: Hisce affectibus porro annumeramus *superfui* & onerosi sanguinis successivam & *naturali* ordinī magis conformem *resolutriam* consumtionem ac consequentem *iminutionem*, quæ plebejo, quotidiano & infallibili exemplo in hominibus *laboriosis*, licet *largissimum* victum usurpatibus, se comprobat; & quamvis *pletboricis* ambulatoria hæc medicina tædiosa & molesta videatur, attamen vix *securius*, vixque efficacius *naturale* auxilium ad

E

hanc

hanc morbificam causam excogitari & applicari potest
 ad miniculum; modo tales *sanguine* onerati & *turgidi* ho-
 mines *torporis*, ignaviae & molestiae suae *impedimentum*,
 desiderata spe *certus* impetrandi commodi *superare* mal-
 lent. Quoniam etiam *ambulatoria* corporis exercitatio
 auctiorem sanguinis motum inseparabilem comprehen-
 dit, ita ille perutilis effectus adhuc annotandus & conci-
 handus est, quod sub eodem intensiori *transitu* sanguinis
 per partes *solidas* carnosas ille magis ab adharentibus *im-
 puritatibus* *absterviora* attritione liberetur, ideo reliqua
 totius corporis *mundificatio* promoveatur, dum sequen-
 tes se & *excretoriae* functiones facilius & *largius* succedunt;
 idem etiam effectus tanti momenti est; ut absque illo re-
 liquae salutares *naturales* operationes vix succedere vale-
 ant: inde etiam pendet, ut perniciose substantiae, *solidis*
 partibus firmius & *infirmius* adharentes, sub hoc *efficaci*
 humorum transitu *largius* & *facilius* *separentur*, in totam
 sanguinis massam *absorbeantur*, indeque ad plenarium re-
 motionem & *excretionem* deducantur: Palmarius vero
 ille *salubris* effectus annotationem & commendationem
 meretur, quod omnes *ordinarias* & *extraordinarias* uti-
 les excretiones *conveniens* ambulatio eximie promoveat,
 sicut contra otiosa & *sedentaria* vita singulas earum *uffla-
 minas* & perturbat, & hic modus *sub evandi* illas evacuationes,
 sicut ab omni coactione liber, ita tanto magis *na-
 turalis*, moderatus & efficax est; quippe qui salutaris ef-
 fectus, prædictis singulis ita nititur, ut unus alterum *adju-
 ver*, singuli autem hoc *nexus* in *sanitatis* commodum ad-
 modum cedant: Addimus præterea illos *connexos* saluta-
 res effectus, quod ambulatio dum quaslibet excretiones
 promo-

promovet, proinde *appetitum* augeat, *concoctionem* faciet, *nutritionem* alliciat & allevet, *organorum* officia exerciter, corporis *flexibilitatem* & agilitatem conservet, *virium* firmitatem atque robur sustentet, *somnum* constantem atque *quietum* reddat, ipsum etiam *animum* ad negotia subeunda *promptum* atque prouum efficere adjuvet, ideoque multiplices *salutares* effectus proferat, qui propterea commode & saepè *medicis* usibus destinari & applicari possunt,

§. X.

Effectus modo recensiti nunc ad varios *usus* applicare licebit: quare in ordine jam indicandum erit, quibus molestiis *morbis* aut *præservandis*, aut interdum *mitigandis*, aut quandoque *tollendis* *congrua* ambulatio conduceat: imprimis autem illa *utilis* observatur, quando statu *plethoraicus* nunc *propius* ad *morbos* disponere solet, modo *nullus excessus* cum eodem medio sanitatis committatur, ne videlicet, quoad *gradum*, *locum*, *duracionem* & *ordinem* peccetur: qui multum ventri serviunt, multaque ingerunt, illis *affidua* deambulatio per quam congruit: inde enim non modo *suspicio* sanguinis *accumulatio* intercipitur, sed reliquæ *excrementitia* convenienter & sufficienter excernuntur; *motus* quidem hoc *plethora* remedium *illis* videtur, qui hoc onere sanguinis *aggravati* sunt, quoniam facile *declassentur*, proptereaque libenter otium & *quietorium* præoptant, atamen huic molestiæ non delicata *indulgentia* inhærendum, quin rectius *indies* motus ille *placide repetendus* est, donec *præcedens* molestia corrigatur & *oblivioni* tradatur: corporis enim *delassatio*, quæ semper cum *plethoraico* statu conjuncta est,

repetitione ambulationis declinari & emendari debet: in fine deinde videbitur cuius sit toni: *tonus enim partium successive & insensibiliter robustior redditur & morboſa incommoda, a plethora metuenda, conſtanter avertuntur:* quando itaque plethorici nec *appetitus dominio & ardori refiſſere volunt, nec cruentis auxiliis medicis, ob hæmophibiam* ſe ſubmittre geſtiunt, tunc *nulla certior, melior, & ſecurior illis medela, quam moderata & iterata ambulatio commendari potest;* Quicunque itaque affectus aut a plethora *dependent, aut ab eadem ſuſtentantur, si adhuc in primis initii confiſtunt, aut leviora ceperunt incremento,* iisdem etiam *idem* ſubſidiū *cerrum & ſincerum* promittit auxilium: juxta ALPINI testimonium pag. 147. inquietis: *ambulatio ad omnes affectus utilis est, qui buminatitatis copia foventur:* quodſi etiam aut ob hanc ſanguinis plenitudinem, aut ob humorum ſpissitudinem in variis corporis regionibus *flognationes, difficiles progressus & infarctus orientantur,* tunc eadem ambulatio æque ad ejusmodi afflictiones conducit; quam ob rem in nonnullis affectibus *capitis, fauicium & pectoris,* hiſce cauſis originem ſuam debentibus, illa apprime proficit: id ſuo aliorumque ſuffragio probavit MERCURIALIS l.c. p. 331. ita diſſerens: *quemodmodum ambulationem profuturam eſſe debere tradidit Antyllus, que, ut ſentit idem capiti, oculis, gurgulioni, thoraci, niſi ad ſit ſputum ſanguinis, male affectis auxiliatur: hanc eandem pro infania, proque abmata curandis, CalAURELIANUS commendabat, præterea SCHNEIDERUS de Catarrbis Lib. V. c. 8 p. 303. refert: multa deambulatio juvat eos, qui caput aut thoracem male affectum habent.* Porro ambulatio *congeſtiones a capite & pectore valde aver-*

overtit, humoresque aliorum & in *exteriorum* corporis
 regionem derivat: nec non humorosas, *pituitosas* & *frigi-*
das secessiones atque *opplationes* in capite *discutit*, ut & ob-
 strunctiones & infarctus cavitatum, sinuum, canalium, cellu-
 larum & pororum tractabiliore referat & tollit: testatur
 hoc ALPINUS l.c.p. 146. 147. ad *adstrictum tollendum ambu-*
lationes in loco clauso, *ventis non perflat efficaciores sunt*,
commendantur ad capitis frigidos humidosque effectus arque
etiam ad eosdem in thorace atque in pulmonibus obortos.
 Quicunque etiam per intervalla molestis *vertiginosis* per-
 turbationibus obnoxii sunt, illis sub *temperata* aura, *mo-*
derata ambulatio, in *plana* semita non parum *utilita-*
tis promittit: quos homines *gravativa* & *sixa* molestia
 in capite affligit, absque doloris connubio, illis *modica* &
 repetita ambulatio utilis evadit: quicunque dolores *capi-*
tis cum *ventriculo* consentiunt, si *leniores* fuerint, illis *re-*
missor ingressus etiam emolumentum afferit: hisce afe-
 stibus annectimus *Rheumatismos* capitis, ut & *fixos* & *sta-*
gnantes catarrhos *capitis*, in quibus idem medium *resolu-*
torio & humores æqualiter *distributorio* effectu proficit,
 modo non sub libero & frigido aëre, sed rectius in puris
 & temperatis hypocaustis instituatur & repetatur: ete-
 nim dum *pedes* imprimis commoventur una aliqualem *re-*
vellentem efficaciam exsérere solent. *Similem* utilitatem
 ambulatio in *pertinacibus* & *chronicis* *defluxionibus* & *con-*
gestionibus ad *oculos* atque *aures* offert: attamen de *hoc*
medico effectu nec promittendum, nec postulandum est,
 quasi *simpliciter*, solitarie & præ omnibus aliis hanc o-
 pem afferat, cum potius sufficerit, quod in talibus mo-
 lestiis

lestius aut *relative aliquam* utilitatem largiatur, aut reliquiam medelam admodum fulciat & sublevet.

§. XI.

Quod *pectoris* affectus attinet, tunc in diversis eorum *temperata* ambulatio salutaris deprehenditur: superius ex CELSO adduximus, quod in *difficili respiratione lenta* talis commotio *utilitatem* afferat: attamen necesse erit *causam* hujuscemodi *asthmatici* affectus rite & perite indagare: *phtisis* enim, *haemoptysis*, aut in *haemoptysin* *volde* inclinantibus, *majori vomica* & *infarctu pulmonum* labortibus, *grandiori polypo cordis* affectis, *magna* & *lata* concretione pulmonum cum pleura, hydrope pectoris, *atonia* muscularum, *respirationem* administrantium, confirmata, afflictis medicina ambulatoria non confert, quae illico *magis noxia*, quam utilis existit: vicissim autem ad *mediocrem* congescionem & oppressionem pectoris, ad *initiantem* infarctum pulmonum, ad *oppletionem catarrhalem*, ad *leniorem* polypum, ad *spasmos* muscularum thoracis & inde pendentes humorum *stagnationes*, hanc ambulationem *medicæ* sua utilitate probamus & commendamus: in *crebriori* autem *cordis palpitatione*, nec non in *grandiori* struma, ut & quibus collum *craßum* & *abbreviarum*, thorax *gibbosus*, pectus *breve* & *arcutum* est, illis valde *circumspecta* & *parca* ambulatio, verius autem *alia* commotio corporis admittenda & ordinanda est: Omnia maxime autem ambulatoria medela *hypochondriacis* conduit, quibus non modo mali *radicem*, sed & plurima *symptomata*, velut angustias præcordiales, adstriictionem alvi, molestias spleneticas, flatulentiam, repressionem sanguinis ab extremitatis bus ad interiora corporis, appetitus turbas &c. valde mitigare

tigare solet, ita ut hoc medium sua salutifera efficacia plu-
 rima reliqua *pharmaceutico*, quia ipsas acidulas atque
 thermas superet, ad minimum singula haec *sine illius c.*
operatione parum valeant. Eadem virtute deambulatio
obstructis visceribus abdominalibus & conjunctis inter-
dum tumoribus, præcipue *pedum mitioribus & tractabili-*
oribus confert, vid SOLENANDER *Sect. I. conf. 10. p. 41.*
lin. 36. ALPINUS *l.c. p. 147.* ideo in morbis *Hepatis, Sple-*
nis & Mesenterii perquam proficit, siquidem glandula-
rum obstructorum apertione promovet: proinde autem
lymphæ depuratione atque sub efficaci humorum distri-
butione futuræ nutritiōni admodum ministrat, ideo
 SCHNEIDERUS de *Catarrb. Lib. V. cap. 8.* ait: *nutritionem*
corporis perficit ambulatio, hæc & vigorem animi & robur
corporis acquirit & gratiā ejus & pulchritudinem con-
tinet. Quoniam autem sedulus & moderatus ingressus
 hepati perquam proficit, idcirco etiam in *ictero* salutaris
 observatur, sicut MERCURIALIS *l.c. p. 331.* hisce verbis
 testatur: *in arquatis & ictericis curandis eo usus Archigenes*
invenitur: similiter Alpinus l.c. p. 147. de Themisone per-
*hibet, quod ad *arrophiam*, a visceris interni obstructione*
& tumore provenientem, curandam, ingressum ordinave-
rit: & juxta hanc causarum connexionem idem etiam in
hectica ingrediente conductit: Quantum utilitatis hoc na-
*turale medium ad *vicia digestionis* corrigenda adferat, com-*
muni observatione ratum atque probatum est; etenim
dum hæc commotio omnes motus vitales & functiones
*naturales excitat; ita remotionem *excrementiarum* ma-*
*teriarum promovet, ut alias *utiles & necessarie reparari**
*queant: ob id hic motus *appetitum naturalem valde revo-**
cat

cat & auger, familiari, *domestico* & probatō exemplo illorum, qui ad prandendum & cœnandum se *præparare* volunt, *antea congrua ambulatione* se exercent, quo non modo ardentiorem appetitum sentiant, sed & gratiolo magis *palato* aut sapore cibos ingerant, meliusve digerant. Moderata enim *sub itione* commotio ventriculi, tam residuarum cruditatum & prægressæ digestionis reliquiarum ulteriore translationem, quam *sanguinis liberaliorem progressionem* circa illum promovet & accelerat, ut nova appetitio & motus ventriculi excitatio consequatur; id eo PECHLINUS l.c.p.502. ait: *Digestionum certe & Secretionum negorium egregie procurat ambulatio, & si quid a coctione supereft lenti humoris, commoda itione feliciter attenuatur.* & BEHRNS in l.c. ex VERULAMIO Lib. 4. augm. scient. p. 200. testatur: *imprimis stomachi morbis convenit ambulatio, ejusque cruditatem & molestam alvi obstrunctionem præcavet, adeoque literatis admodum proficia, cum multo spiritu animus se simul augeat at tollatque.* MERCURIALIS l.c.p.331. ait: *ambulationes tardas has esse crediderim, quas Hipp. Avicenna & Haly a cœna ad magis cibum in ventriculi fundo, ubi citius absolvitur coctio, accommodandum probarunt.* ALPINUS l.c. p.147. differit: *utilissimæ ambulationes sunt stomacho humescenti, dolenti, & in quo cibus coalescit, atque corrumptur.*

§. XII.

In compendiosa commemoratione *affectionum morborum*, quibus ambulatio *salubris* evadit paucis adhuc defectus, aut *difficiles successus salutarium* quarumlibet *excretionum* annotamus; ita enim vegetior & constantior ingressus *impeditius* recurrentes *salubres narium hæmorrbagi*.

rhagias, menstruas uteri purgationes & hemorrhoidales
 eruptions eximie facilitat & promovet, cum vicissim de-
 ses & otiosa vita prævium liberum ac facilem earum suc-
 cessum valde turbet, impedit & si flaminet: MERCU-
 RIALIS itaque l.c. inquit: similiter ambulatio efficax est ad
 mulieres, quibus suppressæ sunt purgationes, & cum avus se-
 stetur, cibi supernant, urina retinetur; & p 333 ex am-
 bulationibus, quæ cum intensiori crurum calcibus incumber-
 do fiunt, utero convulso, purgationi suppressæ partibus in-
 fernis ab alimento fructum non capientibus & omnino qui-
 bus materia sursum reperit, convenientiunt. Intensior enim san-
 guinis motus, ejusque plenior & efficacior diffusio &
 distributio in universam corporis dimensionem, facilorem
 illius perruptionem promovet. Nec etiam hic metus con-
 gruo gradu & tempore in ischiadicis & podagrīcīs affectibus
 aut mīoribus, aut tractabiliōribus, aut remittentib⁹ omni
 utilitate caret, quo mediante fibræ constrictæ & rigidæ
 denuo ad aliqualem flexilitatem & molliitatem perducuntur
 & restituuntur, æqualis sanguinis circuitus invitatur, hu-
 mores stagnantes resolvuntur, ac quælibet ordinariæ eva-
 cuationes reuocantur & promoventur; cum singulari li-
 mitatione MERCURIALIS l.c. p. 332 mentionem facit: pe-
 dibus debilbus & suscipienda podagræ expositis, nocet:
 quando quidem ob nimias deambulationes non raro ischiadi-
 cos dolores & podagram generari scribit Galenus; sicut ex
 adverso remissam arthriticis & podagrīcīs & ulceribus inter-
 nis convenire, insinuarunt Cælius & Celsus, ubi deambula-
 tionem molistramine, coæquato solo peractam ipsi⁹ commen-
 davit: debent enim, ut scriptum est a Tralliano, qui poda-
 gra & articulorum affectionibus turbantur, moveri, potis-

semumque ante, & non post cibos, dissentientem annotacionem profert ALPINUS l.c.p. 147. in med. ad podagricas inflammationes, se fiat per loca montosa, inæqualia & per multo spatia, ita utilis deambulatio est deprehensa, ut sola obroram podagram, non raro omnino eadem die resolvetur, quod mibi non semel contigit: nos ad hosce affectus laudamus temperatam & iteratam in via magis plana, quam aspera ambulationem. Hominibus, quibus convulsivi affectus familiares sunt, moderata & repetita ambulatio proficit, sedentaria autem vita officit, Cœl. AURELIANUS Lib.3. Chron. 7. CELSUS Lib.3.c. 23. MERCURIALIS l. c. p.332.333. Qui impuro sanguine, lympha spissa & diversis efflorescentiis cu taneis laborant, iis modica obambulatio admodum utilis existit, servata illa præcautione ne magna exæstuatione & sudatio conjugatur: quibus subjectis motus morbos superioris magis regiones petunt & affligunt, iis assidua, & modica ambulatio resolvente & revellente effectu per quam confert, ideo MERCURIALIS l. c. p.331. dicit: non mediocriter quoque coxendicis morbis prodest, & ad summum omnibus iis in quibus necesse est, aut a superioribus paribus ad inferiores aliquid defluere, aut quæ ad inferiores partes propensa feruntur, excernere. Omnes qui frigida & pituitosa intemperie laborant, ab ambulatione valde levantur & resiciuntur, quibus inde motus humorum augetur, melior sanguinis temperies promovetur, & utilis calor naturalis excitatur: Ita etiam obesis subjectis convenientis ambulatio æque conductit: teste experientia & ex hac Cœl. AURELIANO Lib.4. Chron. cap.7. & Lib.5. c. ult. MERCURIAL. l. c. p.331. ALPINO l. c. p.147. quicunque porro morboſa somnolentia affliguntur, iis pariter idem medium

medium ad *resolvendos humores ad liberandum cerebrum*
 ab inimica *oppletione humorosa*, ad corrigendam magnam
relaxationem nervorum & membranarum, multum *proficit*: Præterea in *febris intermittentibus* hoc subsidium
 modo circumspecte, opportune & congrue adhibetur,
 multum *levaminis conciliat*, dum *affectas partes a causa*
morbifica citius & faciliter liberare & remediorum congruo
rum salubrem operationem promovere adjuvat: Adversus
initiantem tabem & contracturam artuum, ambulatio mul-
 tum variis modis proficit, modo *remissus*, licet *solerius*, ex-
 erceatur. Addimus quæ SCHNEIDERUS Lib V. c 8. p.303 sq.
 profert: *Prodest adversus catarrhos multum i.e. sedulo om-*
bulare - - *sit autem ambulatio levius, qua catarrbi sunt di-*
movendi, & præcipiente C. Celso antecedat cibum, sicut &
Nic. Nicoli, Bartholom. Montagnana, & Eustachius Ru-
ditus tradunt. Quod ad tumores pedum in gravidis ambu-
 latio conductu B STAHLIUS in *diff. de off. & gravid.* f. 59.
 p. 46. hisce testatur verbis: *bis quibus leviores crurum fo-*
lum, tumores tales eveniunt, utilissimum est, quantum us-
quam fieri potest, ambulare potius, quam vel plurimum sta-
re, vel ita sedere, uti plurimæ solent, valde humilibus sca-
bellis.

§. XIII.

Quemadmodum itaque multis morboſis initiis & in-
 vasionibus Ambulatio *salubris evadir*, ita in variis subjectis
 atque casibus *parcius admittenda*, aut aliquandiu plane
 interdicenda erit, sicut modo passim in præcedentibus mo-
 riūmus: ita MERCURIALIS l.c. p. 331. inquit: *nocet ambu-*
latio epilepticis, sanguinem excrevantibus mingentibusve, aur
seminis defluvium patientibus. Quicunque homines faci-

le prodigos bæmorrhagias experiuntur, qui consummata
 pœthise laborant, qui grandiori cordis patypo affecti sunt,
 qui magna struma laborant, qui eximia Hernia umbilicalis
 aut Scrotali detinentur, qui procidentia ani & uteri affli-
 eti sunt, qui ciro & facile in excessivum & valde enervan-
 tem atque suspectum sudorem incident, iis singulis talis
 ambulatio admitti non potest: ita etiam affectus repentini
 & vehementes, sensibilesque inflammatorii & biliosi illam
 non tolerant: quicunque temperamento nimis calido præ-
 dicti sunt, illis multa ambulatio, quippe medicina non conve-
 nit, quo valet testimonium HIPPOCR. Lib. VI. de morb. po-
 pul. Sect. 4. & Cbris. a VEGA de arte medendi Lib. 2. Sect. 3.
 cap. 1. p. 136. non videtur exercitatio corporis natura calidis
 conveniens, corpora enim justo calidiora refrigeratione egent:
 quibus subjectis itaque non nisi exquisite moderata ambu-
 latio ordinari & concedi debet: quando etiam nonnulla
 subiecta molesta valde dysuria, alioque suspecto urinæ ar-
 dore facile & frequenter corripiuntur, illis parca & rara
 ambulatio admittenda est: Medico vero illa ambulatio ap-
 pellari debet, quæ pro vacillante sanitate sublevanda &
 confirmanda, aut pro amissa reparanda indies congruo gra-
 du, modo, loco atque tempore exercetur. Regimen au-
 tem, quod huic medico scopo convenit secundum qualita-
 tes subiectorum, morborum, causarum morbificarum, oc-
 casionum, necessitatis similiumque circumstantiarum di-
 sponi debet: quare modo matutinis horis, sereno tempo-
 re, ante prandium, temperato & tranquillo cœlo, nunc in
 semita plana & adæquata, alibi quadantenus montosa, mo-
 do paulo diutius & intensius, modo breviori mora & lenio-
 rigradu: interdum post prandium remissori ingressu, aut
 post

post cenam breviori tempore ac favente magis tempestate,
modo urgentibus circumstantiis in loco domestico, aut hor-
tis inquilinis jam sedato, alibi accelerato gressu, nunc ad
modicum corporis ruborem & calorem usque, modo ad
lenem sudationem, quandoque ad placidam lassitudinem,
interdum sub conservatione virium, &c. talis deambula-
tio instrui & dirigi debet, quæ qualitates atque regulæ ita-
que juxta subjectorum proprietates, & causarum atque fi-
niuum conditionem ordinari debent: Nunquam autem
convenit aut in sanis, aut valetudinariis, vel proxime ante
vel post vietas ingestionem strenua, celeri, exæstuante val-
de & sudore urgente ambulatione vires fatigare, unde
facile in junioribus, tenerioribus & sensibili oribus subjectis,
ptibisis, hecūca, bæmoprysīs, vomica pulmonum, polypus
cordis, scirrhos in hepate, morbi mesenterii, febres ano-
malæ intermittentes, varii confusi primarum regionum
morbi, ventriculi diversæ molestiæ, cephalalgiae, con-
cretiones pulmonum cum pleura, inflammationes pul-
monum, aliæque turbulentæ febres oriuntur: ut ita ob ni-
miam confidentiam in motus corporis utilitatem variis non-
nunquam excessus committantur, qui speratam salubritati-
tem elidunt, & pernicioſis magis effectibus ansam mini-
strant: Periti itaque ac judiciosi medici officium erit, tale
ambulationis regimen invenire & constituere, quo fin-
gulis circumstantiis convenientis proportio concilietur: in
quo selectu & moderamine antiquiores quidem varias re-
gulas disponuerunt, quæ respectum subjectorum, gradus,
loci, temporis, constantiæ &c. quoad ambulationis ex-
ercitationem attinent, in quibus tamen ad specialia indi-
vidua & singulares casus applicandis, peculiare judicium

requiritur: quare præsenti huic deductioni nunc finem
imponimus: divinæ bonitati pro exhibito cœlesti adju-
mento in hac tractatione humillimas tribuimus lau-
des & gratiarum actiones eamque ardentibus imploramus
votis, ut Jehovam exspectantes, robore innovemur, ad-
scendamus ala sicut aquilæ, curramus & non delassemur,
ambulemus & non defatigemur, atque is reliquo suo al-
mo directorio nostris institutis & laboribus prospero ac
salutari succurrat successu efficiatque ut salutaris
sequatur

F I N I S.

NOBILISSIMO ET PRÆCLARE DOCTO
DOMINO CANDIDATO

FELICIA PRECATUR

P R A E S E S.

Hominem ad orandum, laborandum & ambu-
landum natum esse, Liber revelationis & ra-
tionis confirmat, inde enim & Spiritualis &
Naturalis beatitudo & felicitas certo certius promit-
tenda & exspectanda est. Quod ambulationem re-
spicit, tunc ad illius exercitationem mox tenera se
accingit ætas, hinc pulsiones mox pedibus insistere,
mox

mox gradari tentant inchoantque, tandem magna circumspetione incedere discunt: hinc homines sedulo deambulantes & animum magis agilem, & corpus firmum atque robustum reddunt; otium contra & desidia est animæ caries, viva hominis sepultura omnemque malitiam docet, teste Chrysostomo: huic pertinet G A L E N I *de Consuet.* & P L A T O N I S in *Timœo* effatum, quod exercitatio corporis, quamlibet virtutem partium roboret, quod *cursu fiant homines veloces, ambulacione vivaces, lucta robusti & esu ad coquendum bables*: non minus S E N E C A etiam *Epist. 15.* inter varias exercitationes, quas commendat, obambulationis utilitatem & moderationem indicat: Sic C I C E R O *Lib. 16. fam. Ep. 18.* moderatam ambulationem ad sanitatem acquirendam ordinavit: unicum adh. O R I B A S I I testimonium *6. Collect. cap. 21.* addere lubet, ita sentientis, *se quid est, quod singulorum, eo magis hominis sanitati conducit, id præcipue naturali corporis morui tribuendum est.* Si in pedibus structuram, figuram, dispositionem, ossium fabricam & ordinem, musculorum tendinumque seriem, situm, extensionem, insertionem, numerum &c. intuemur, omnino magnalia Sapientissimi & benignissimi Creatoris mirari & venerari debemus, qui non modo totum corporis truncum gestare & tenere debent, sed pro varietate humanarum necessitatibus e loco in locum ad diversos fines acquirendos transferre solent: Hic motus autem non solum proximioribus animæ respectibus inseruit, sed vicissim a Deo ita ordinatus est, ut corpori multiplicem salubritatem afferat; Omnia sane corporis humani membra atque organa ob flexilita-

xilitatem, mollitatem, permeabilitatem, & humiditatem suam magis ad negotia, quam otia juxta simplicem & naturalem contemplationem destinata & fabricata sunt, unde concludere licet, plus utilitatis pro corporis etiam salubritate ac integritate & sedulis membrorum usibus & ad diversos congruos efficiunt applicationibus sperandum esse, quam a negligentiori eorum usurpatione ; hinc homines, plus Somno, otis & quieti animi atque corporis indulgentes, citius & certius mancipia morborum evadunt. Ante partum embryo in claustrō suo membra movere incipit, & si ægri spem sanitatis recuperandæ concipiunt, ambulare nituntur, & ex hac facultate plus ultra in convalescentiæ accremento progredi sperant. Et hæc meditatio præsens **T U U M** PRÆSTANTISSIME CANDIDATE argumentum Inauguralis Speciminis est, ut Ambulationis usum medicum, sanis ad tuendam, valetudinariis comparate ad revocandam firmam sanitatem significes & comprobes. Ipsemēt hæc tenus ex ambulacione ad & inter doctos ac peritos viros multum cepisti usum, dum non modo per plures annos in Scholis doctissimorum virorum incliti nostri Lycei saluberrima dogmata artis Medicæ præstanti, constanti & laudabili industria hausisti, proinde bonum cognitionis thesaurum inde **T I B I** comparasti, sed modesto, integro, beneque morato vitæ genere conjunxisti, ideoque bonam indolem probasti. Nec occasionem hæc tenus in practica applicatione & exercitatione proficiendi omisso animo tractasti & observasti, sed assidue inter sanos & ægros medicis confi-

consiliis adſiſtendo utiliter ambulaſti. Quare præ-
mum honoris academicī petiſti, & peractis Scruti-
niis Facultati noſtræ bonos in Medicina theoretica
& practica profeſtus, hiſce Immunitatibus dignos
obtuliſti. Qua de cauſa felici huic aetui omnia fau-
ſta ac ſalutaria auguſtor, TIBI que de hiſce honori-
bus gratulor, denique reliquos Laboribus TUIS
exoptatissimos ſucceffus & eventus, cum qualibet
animi atque corporis proſperitate annuente & fa-
vente animo apprecoſor. Vale. Dab. Halæ Magd.
XV. Calend. Decembr. A. R. S. MDCCXL.

PRÆNOBILIſſIMO ET PRÆCLARE DOCTO
DOMINO
CANDIDATO ZIEGLER,
AMICO INTEGERRIMO

S. D. P.

TIMOTHEUS JUSTUS Lange,
MED. DOCT.

ITa tandem felici ſtatus TU, PRÆNOBILIſſI-
ME CANDIDATE, mutatione erga TE me-
um teſtatum facio amorem. In publicum pro-
dire jubeo illum. Habeo enim quod volo, quod-
G que

que desideravi, accidit. Accidit, ut T E amicum meum desideratissimum salutare possim Doctorem & venerari. Hinc sincerus animi mei affectus T I B I hunc gratulatur honorem. Honorem, quem longe ante meruisti. Honorem quem Pallas T I B I legitime adjudicat, T I B I que data dextra porrigit. Sunt quidem multi, quos accepta istiusmodi eruditii speciminis occasione multa fabulari juvat, atque inania somniari; ast, absit mos iste depravatus. Seria tractant eruditii, & tractent. Multo autem magis verorum abhorrit amicorum conversatio a multis assentiunculis. Procul ergo sint ista profana, procul istae quisquiliae. Sinceritas delectat. Sed ad rem. Sensi abs T E, PRÆNOBILISSIME CANDIDATE, omni me amari tempore. Idem T U mea ex parte animadvertes. Amicitiae ergo, quæ inter nos intercedit, ratio fausta quævis T I B I apprecari requirit. Requirit & omnino justa. Solvam ergo quod debeo; licet non ex ase, saltim ex parte. Vade, Amice integerime, vade & rem T U A M age feliciter. Inoffensa utere valetudine, ut valetudinem aliorum conservare possis & stabilire. Abigat sumnum numen longissime, quæ T U A M in columitatem turbare conantur. Tali enim ratione & T I B I ipsi & aliis satisfacies. Vale dedi Halæ Magdeburgicæ die XVI. Novembr.
MDCCXL.

Si





SI labor est magnus quam quis suscepereit audax
Fructus dependens dulcior omnis erit
Cumque satis constet ZIEGLERUM magna patrasse
Non aliter magis, quam TIBI dulcis adest
Hinc Pallas nequit circum TUA Tempora laurum
Accipias lætus, tradita dona TIBI.

Hicce Preuobillissimo ac Doctissimo DN.
CANDIDATO Amico suo astu-
mato de novo Honoris gradu cum
voto omnigenæ felicitatis ex animo
gratulatur

G. L. GRÆBNER,

Halens. Magdeb. M.C. Oppon.


SI non faustos fastorum signa referrent,
Huncce diem: faustus tamen esset vocandus.
Auspicium felix TIBI jam, suavissime ZIEGLER
Exoritur; quæcumque boni sunt ominis, adfert
Lux hodierna simul. Fluit TIBI hand gratar unquam.
Summos, quos medici norunt, acquiris honores:
Ascendis cathedram, bellas & fortiter Ipse
Artis Appollineæ genuina statuta tueris,
Præmia consequeris tandem præclara laborum;
Dum Caput insignis Doctorum mitra coronat.

Parti-

Participes mutuæ fortis redduntur amici.
Hinc ego cur fileam? cur non mea gaudia tester?
Miror doctrinam, plando, congratulor atque
Apprecio, ut quævis bona TE comitentur ubique,
Ut, quæ suscipies, feliciter omnia cedant.

Paucis hisce perpetuo se favori ac benevo-
lentie honoratissimi DN. CANDIDA-
TI commendare & de summo in ca-
pessendo Doctoris gradu, honore Ipsi
gratulari voluit,

CHRIST. SIGISM. BECKER,
Medicinae Cultor.




He 156. 2?

ULB Halle
001 876 392

3



TA-DOL
(SA-24 fehl.)



3

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE
**MEDICINA PERIPATE-
TICA S. AMBULATORIA,**
**Ob mit gehender Leibes-Bewegung die Gesundheit
erhalten und befördert werden könne?**

Quam,
AUSPICE DEO PROFITIO,
Et Consensu atque Auctoritate Gratiæ Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

P R Ä E S I D E

DN. D. MICHAELE ALBERTI,
SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES-

SORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Praeceptore ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-

GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONVENTIS,

ANNO MDCCXL. D. NOVEMBER.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICET

R E S P O N D E N S

JOHANNES ANDREAS ZIEGLER,

HALENSIS MAGDEBURGICUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS JO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

